

O R D E V I C E S .



Illurum, & Dimetarum, quas haecenus peragravimus regiones, posteritas, cum tribus Principibus pareret Vallia, sua lingua Deheu-barth, id est, dextram partem, Angli South-Wales (ut dictum est) vocaverunt. Reliquos duos principatus (quos illi Guineth & Powis, nos North-Wales & Powisland dicimus) insederunt olim ORDOVICES, qui & ORDEVICES, ORDOVICÆ, & alicubi, sed corruptissime, Ordolucæ. Gens valida & animosa, utpote qua montibus inhaeret, & solo animatur suo, quaque diutissime cum Romani, tum Anglici imperii immunis agitavit: nec ante Domitiani tempora à Romanis devicta: tunc enim Iulius Agricola universam prope gentem debellavit, nec ante Edwardi Primi tempora ab Anglis in Provinciam redacta. Libertate enim diu luxuriarunt, sua fortitudine, locorumque difficultate freti, qua insidiis & protrahendo bello quodammodo nata videantur.

Horum fines determinare non adeo difficile, nominis autem veram rationem reddere quam difficillimum existimo. Opinionem tamen concepi, cum supra duo flumina Devi, quæ vicinis fontibus orta in diversa feruntur, confederint, & Oar-devi supra Devi flumina lingua Britannica significet, inde illos Ordevices dictos fuisse, perinde ac Arverni, quod supra Garumnam, Armorici quod super mare, Horesci quod supra Escam flu. habitarent, fuerint denominati. Nec sine vestigiis intercidit Ordevicum in hoc tractu nomen, magna enim ejus pars, quæ mari adjacet, Arduwy etiamnum incolis vocatur, ex quo Ordovic, & Ordevices molliori sono conflasse videantur Romani. Sed una universa regio recentiori nomine Latinis (præter unam regimunculam) Guinethia & Venedotia, Britannis Guineth nuncupatur, à Venetis Armorica, qui, ut habet Casar, in Britanniam creberrime navigare soliti, ut quidam suspicantur. Sin fas mihi sit unicam literulam immutare, arbitrarer hoc nomen Græcis, & Pausania innotuisse, qui in Arcadicis prodit, Antoninum Pium male multasse Brigantes nostros, eo quod GENOVNIAM Romanorum in Britannia provinciam incurfassent. Certe si Genouthiam pro Genounia legere fas fuerit, ita illa voce ad Guinthiam accedit, & Guinethia hac situ adeo Brigantibus contermina jacet, ut nisi hanc regionem intellexerit Pausanias, quanam illa fuerit, Sibylla ipsa viderit. Cæterum ad Ordevices spectantur regiones illæ, quæ nunc Anglice novis nominibus, Montgomery-shire, Merioneth-shire, Caernarvon-shire, Denbigh-shire, & Flint-shire appellantur.

Ordovices.

Veneti. Guineth.

Genounia.

M O N T G O M E R Y - S H I R E .



Montgomery-shire, Britannice Sire Tre-faldwin, à primario oppido ad medium Solem Ceretica & Radnor, ad Orientem Salopia, ad Boream Denbighia, & ad Occasum Merionethia circumscripta, licet montibus plurimum emineat, convallibus

tamen grata fecunditate, cum pascuis, tum arvis utique felix est regio; laudatissimorumque equorum fecunda olim genitrix, qui, ut habet Giraldus, nobilem picturæ formam protrahente natura, tam membroso sua majestate, quam incomparabili velocitate valde commendabiles fuerunt. In extremo hujus agri ad Occasum, ubi quasi in conum desinit, Machleneth sedet, forsitan Romanis MAGLONA, in qua sub duce Britanniarum præsidium egit Honorii Augusti tempore Præfectus Numeri Solensium ad montanos cohibendos, & ad secundum hinc milliare juxta Penall ostenditur locus Keven Caer, id est, Dorsum urbis dictus, ubi Romanorum numismata subinde effodiuntur, & orbicularis mœnium forma non parvo ambitu cernitur.

Equi laudatissimi.

Machleneth. Maglona.

Plinimon.

Quinque hinc mille passus Plinimon mons, quem dixi, in eximiam exurgit altitudinem, & ea parte, qua hujus agri latus claudit, SABRI-

NAM secundum à Tamisi Britannia flumen effundit. Haffren Britanni, Severne Angli indignant. Quæ nominis origo, non legerim, fabellæ affine videtur quod de Sabrina virgine in eo demersa commentus est Galfridus, & Poëta nuperus, qui illum sequutus cecinit:

In flumen precipitatur Abren,

Nomen Abren fluvio de virgine, nomen eidem

Nomine corrupto, deinde Sabrina datur.

Hic statim à fonte ita crebris incurvus flexibus agitur, ut sæpe reverti credatur, procurrit tamen, seu potius lentus pervagatur hunc agrum, Salopiensem, Wigorniensem, & postremo Glocestrensem, vitalemque humorem glebæ ubique suppeditans in Sabrinianum fretum se tandem placide exonerat: Hoc vero agro sylvis obumbratus per Lanidos, Trenewith sive Newtoyne & Caer-fuse, quod & antiquum, & antiquis privilegiis firmatum prædicant, in Boream eluctatur, & non procul ab Orientali ripa relinquit Montgomery, primarium conventus oppidum, surgenti saxo, cui amœna planities subjacet, à Baldwino limitis Wallici præfecto, regnante Guilielmo Primo, constructum, unde Tre-faldwin, id est, Baldwini oppidum Britannis vocatur. Sed Angli à Rogero Montgomerico Salopiæ Comite, cujus patrimonii erat, Montgomery & Montem Gomicum dixerunt, qui,

Sabrina fons. Severne.

New-coune. Caer-fuse.

Montgomery.

Trefaldwin.